

## ***M. Fabius Quintilianus***

### **Institutio oratoria**

#### **LIBER 12**

##### <PROHOEMIVM>

Ventum est ad partem operis destinati longe grauissimam: cuius equidem onus [sit] si tantum opinione prima concipere potuissem quanto me premi ferens sentio, maturius consulissem uires meas. Sed initio pudor omittendi quae promiseram tenuit, mox, quamquam per singulas prope partis labor cresceret, ne perderem quae iam effecta erant per omnes difficultates animo me sustentauit. Quare nunc quoque, licet maior quam umquam moles premat, tamen prospicienti finem mihi constitutum est uel deficere potius quam desperare. Fefellit autem quod initium a paruis ceperamus: mox uelut aura sollicitante proeucti longius, dum tamen nota illa et plerisque artium scriptoribus tractata praecipimus nec adhuc a litore procul uidebamus et multos circa uelut isdem se uentis credere ausos habebamus: iam cum eloquendi rationem nouissime repertam paucissimisque temptatam ingressi sumus, rarus qui tam procul a portu recessisset reperiatur; postquam uero nobis ille quem instituebamus orator, a dicendi magistris dimissus, aut suo iam impetu fertur aut maiora sibi auxilia ex ipsis sapientiae penetrabilibus petit, quam in altum simus ablati sentire coepimus. Nunc 'caelum undique et undique pontus'. Vnum modo in illa immensa uastitate cernere uidemur M. Tullium, qui tamen ipse, quamuis tanta atque ita instructa naue hoc mare ingressus, contrahit uela inhihetque remos et de ipso demum genere dicendi quo sit usus perfectus orator satis habet dicere. At nostra temeritas etiam mores ei conabitur dare et adsignabit officia. Ita nec antecedentem consequi possumus et longius eundem est ut res feret. Probabilis tamen cupiditas honestorum, et uelut tutioris audentiae est temptare quibus paratior uenia est.

Sit ergo nobis orator quem constituimus is qui a M. Catone finitur uir bonus dicendi peritus, uerum, id quod et ille posuit prius et ipsa natura potius ac maius est, utique uir bonus: id non eo tantum quod, si uis illa dicendi malitiam instruxerit, nihil sit publicis priuatisque rebus perniciosius eloquentia, nosque ipsi, qui pro uirili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati sumus, pessime mereamur de rebus humanis si latroni comparamus haec arma, non militi.

Quid de nobis loquor? Rerum ipsa natura, in eo quod praecipue indulsisse homini uidetur quoque nos a ceteris animalibus separasse, non parens sed nouerca fuerit si facultatem dicendi

sociam scelerum, aduersam innocentiae, hostem ueritatis inuenit. Mutos enim nasci et egere omni ratione satius fuisset quam prouidentiae munera in mutuam perniciem conuertere.

Longius tendit hoc iudicium meum. Neque enim tantum id dico, eum qui sit orator uirum bonum esse oportere, sed ne futurum quidem oratorem nisi uirum bonum. Nam certe neque intellegentiam concesseris iis qui proposita honestorum ac turpium uia peiorem sequi malent, neque prudentiam, cum in grauissimas frequenter legum, semper uero malae conscientiae poenas a semet ipsis in prouiso rerum exitu induantur. Quod si neminem malum esse nisi stultum eundem non modo a sapientibus dicitur sed uulgo quoque semper est creditum, certe non fiet umquam stultus orator.

Adde quod ne studio quidem operis pulcherrimi uacare mens nisi omnibus uitii libera potest: primum quod in eodem pectore nullum est honestorum turpiumque consortium, et cogitare optima simul ac deterrima non magis est unius animi quam eiusdem hominis bonum esse ac malum: tum illa quoque ex causa, quod mentem tantae rei intentam uacare omnibus aliis, etiam culpa carentibus, curis oportet. Ita demum enim libera ac tota, nulla distringente atque alio ducente causa, spectabit id solum ad quod accingitur.

Quod si agrorum nimia cura et sollicitior rei familiaris diligentia et uenandi uoluptas et dati spectaculis dies multum studiis auferunt (huic enim rei perit tempus quodcumque alteri datur), quid putamus facturas cupiditatem auaritiam inuidiam, quarum in potentissimae cogitationes somnos etiam ipsos et illa per quietem uisa perturbent? Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam uariis adfectibus concisum atque laceratum quam mala mens. Nam et cum insidiatur, spe curis labore distringitur, et, etiam cum sceleris compos fuit, sollicitudine, paenitentia, poenarum omnium expectatione torquetur. Quis inter haec litteris aut ulli bonae arti locus? Non hercule magis quam frugibus in terra sentibus ac rubis occupata. Age, non ad perferendos studiorum labores necessaria frugalitas? Quid ergo ex libidine ac luxuria spei? Non praecipue acuit ad cupiditatem litterarum amor laudis? Num igitur malis esse laudem curae putamus? Iam hoc quis non uidet, maximam partem orationis in tractatu aequi bonique consistere? Dicetne de his secundum debitam rerum dignitatem malus atque iniquus? Denique, ut maximam partem quaestionis eximam, demus, id quod nullo modo fieri potest, idem ingenii studii doctrinae pessimo atque optimo uiro: uter melior dicetur orator? Nimirum qui homo quoque melior. Non igitur umquam malus idem homo et perfectus orator. Non enim perfectum est quicquam quo melius est aliud.

Sed, ne more Socraticorum nobismet ipsi responsum finxisse uideamur, sit aliquis adeo contra ueritatem opstinatus ut audeat dicere eodem ingenio studio doctrina praeditum nihilo deteriore futurum oratorem malum uirum quam bonum: conuincamus huius quoque amentiam. Nam hoc certe nemo dubitabit, omnem orationem id agere ut iudici quae proposita fuerint uera et honesta uideantur. Vtrum igitur hoc facilius bonus uir persuadebit an malus?

Bonus quidem et dicet saepius uera atque honesta. Sed etiam si quando aliquo ductus officio (quod accidere, ut mox docebimus, potest) falso haec adfirmare conabitur, maiore cum fide necesse est audiatur. At malis hominibus ex contemptu opinionis et ignorantia recti nonnumquam excidit ipsa simulatio: inde inmodeste proponunt, sine pudore adfirmant. Sequitur in iis quae certum est effici non posse deformis pertinacia et inritus labor: nam sicut in uita, ita in causis quoque spes improbas habent; frequenter autem accidit ut iis etiam uera dicentibus fides desit uideaturque talis aduocatus malae causae argumentum.